In imaginem praestantissimi viri,
PATRIS PAVLI (e Sodalibus
Servis) Veneti.

Effigies veneranda senis ter candide, magni hac
Spectator, PAVLI conspicitur tabulâ.
Par probitate illi nemo, vel mente modestâ,
Omnigenâ in rerum cognitione, fuit.

De eodem.

Debuit urbs Venetûm (minitante et fulmina et arma
PAVLO offirmatis irrita Pontifice)
Consilijsque, animisque suis, armisque, opibusque.
PAVLE, tuis debet non minus illa libris.
Caussa opibusque armisque fuit munita, animisque
Consilijsque: libris PAVLE probata tuis.

De eodem.

Pontificis PAVLI privatus fulmina PAVLVS
Disiecit calamo, retudit arma stilo.

THOMAS SEGHETVS BRIT.
Veteris amicitiae memor
φιλόπαυλος ἐποίει.